

VIRO PERILLVSTRI
PERQVAM MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DANIELI TIDEMANN

ICTO EMINENTISSIMO
REIPVBLICAE PATRIAE PER ANNOS XXV. SENATORI
ET AD AEDEM S. ANSGARII AEDILI

RELIQVA.

CONSVLIS EMERITI
DE OMNI REPVBLICA MERITISSIMI
DOMINI
HERMANNI DE LINE

T. T.

OPTIMATIS DESIDERATISSIMI
ELECTO IN PROVINCIA CONSVLARI SVCCessori
SVPREMVM HOC DIGNITATIS FASTIGIVM

D. XXVIII. NOVEMBRIS c16ccl.XXVI.

SOLEMNI RITV OCCVPATVM

QVO PAR EST DEVOTISSIMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE

CVLTV

GRATVLABATVR.

CHRISTIANVS NICOLAVS ROLLER

VERBI DIVINI MINISTER

ROTERODAM. LITTERAR. SOCIET. CVIVS INSIGNE EST PRODESSE CANENDO

MEMBR. HONORAR.



BREMAE

TYPIS DIDERICI MEIER, ILLVSTR. GYMNASII TYP@GRAPHI.



REIPUBLICAE PATRIAE PER ANNOS XXV. SENATORI
ET AD IUDICII & ARGUMENTI ARTEM

CONSULIS EMERITI
DE OMNI REIPUBLICA MERITISSIMI
DOMINI
HERMANNI DE LINE



ominibus faustis decernebantur honores,
Summi, LINE, TIBI, confert quos CVRIA dignis:
CONSVLIS effulges titulo, quem grandis aceruus
Virtutum meruit. Tunc vera haud vana Parentem
Praedixisse meum, docet experientia: namque
Quanta per hoc tempus, quo munia publica CONSVL
In PATRIAE commune bonum propensus obisti,
Accessit series meritis! Vestigia seruans
CONSVLIS egregii, KLVGKISTI nomine clari,
Sic animi, quod cuncta regit, pia vota secundat
Propitium NVMEN; sic spes non vana fefellit
Pectora fida: TVOS coluit RESPVBLICA faeces,
VRBSQUE colet, littus dum lambet vtrumque Vifurgis.

Iam vero grauior senio, deponere fasces
Imperii statuis. Quis nunc TUA munia CONSUL,
Suscipiet? Quis erit, quem sceptro, quemque curuli
Dignentur sella, PATRII qui MEMBRA SENATVS
Constituunt? Lugent animis et pectore grato
TE reuocare student: sed inanes quando videbant
Spes animo captas; tum quaeuis fausta precati,
Concedunt requiem bene partam. Sidera tardus
Concedas voueo, meritorum praemia sospes
Cum THALAMI SOCIA capias: DEVS annue votis!

Vt vero vacuam complerent CONSULE fedem
ILLVSTRES PATRIAE PATRES, quae publica curae
Commoda sunt, omnem luctumque e pectore tollant
Ciuiibus, officium LINI, meritos et honores
CONSULIS et sanctam trabeam, fellamque curulem
Designant, TIDEMANNE, TIBI, quem quinque peracta
Lustra SENATOREM commendant, quemque SENATVS,
Quem POPVLVS veneratur, et omnis ad aethera tollit
Laudibus, et merito gratos gratatur honores.

Salue igitur, CONSUL, virtutis et artis Alumne,
Viue, vale, flore, delatam suscipe spartam,
Et regere imperio PATRIAMQUE SCHOLAMQUE memento,
Ominibus fretus, quae femina virque triumphant.
CONSULIS, en! PROCERES titulos et nomina laudis
Laeta ferunt, animi testantes gaudia plausu.
Plectra mouent chordis DOCTORES, cantica suauis
Voce canunt, dulces modulantur gutture Musas:
Accinit et claris pubes studiosa triumphis.
Laetitiae signis resonant delubra Mineruae;
Ipsaque plaudentum reboant clamoribus vrbis
Moenia, et exultant celebrantes gaudia ciues.
Sic ego crediderim lucas fluxisse serenas,
Cum noua Romulei caperent exordia fasces.
Tempora felici iam current sidere nobis;
Longe aberunt scelerum facies, promissa morari
Nemo velit, laetam nemo praetendere fraudi
Tentabit speciem; verum sincera bonorum

Congeries erit, et veteris vestigia recti,
Aureaque vnanimis nectet Concordia mentes.
Et SCHOLA florens caput inter nubila condet,
Pulchra iuuante NOVI SCHOENEO coepta SCHOLARCHAE.

His nihil adiicio, nisi vota precesque fauentes,
Proque MAGISTRATVS POPVLICAE salute perenni,
Proque salute SCHOLAE, RECTORVM proque salute.
TE DEVS in primis PATRIAE DECVS atque COLVMNAM
Seruet, et ILLVSTRI totam cum CONIVGE GENTEM.
Praestet inoffensos, quibus efflorescis, honores,
Dans tot inexhausta largissima munera penu,
Quot matura cadunt autumni tempore poma;
Et quot hyems teneras dirumpit ab arbore frondes;
Quotque niues verno soluuntur Apollinis igne;
Quotque dat aestiuas secundum semen aristas.

